



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in  
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1706**

§. III. An Metropolitanus dispensare possit cum subditis suorum  
Suffraganeorum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](#)

pter ipsum necessitatem adest Ordinariorum concessio, ut ex communi usu constat; secūs quoad vota, juramenta, vel impedimenta specialia; nisi meritò præsumi possit ob urgentem hic & nunc necessitatem, quæ non patitur recursum ad Ordinariū domiciliarem. Sed tali casu Ordinarius loci ageret cum ejusmodi peregrino solum ex præsumpta voluntate Ordinariorum, ad quos hic pertinet ratione domicilij.

- 1123.** Dices: c. *cum nullus de temporib. ordinat. in 6.* dicitur, quod nullus Clericum alienæ Parochiæ debeat, *præter Superioris licentiam, ordinare;* cùm ergo textus singulariter de Sacramento Ordinis requirat licentiam *Superioris* (quo nomine intelligitur is, in cuius diecesi promovendus domicilium habet) ad reliqua Sacra menta recipienda, & dispensationes obtinendas tacitè insinuare videtur Superiorē habitationis saltem diuturnæ sufficere. *R. C.* ant. N. conseq. quia in dato c. non erat quæstio universalis circa jurisdictionem Ordinariorum in homines alienæ diec es; sed solum particularis, an, ut quis licet recipiat, & alter conferat *Sacramen tum Ordinis*, sufficiat qualiscunque subje ctio ordinandi ad ordinantem? & respon sum est, quod non, sed requiri, quod vel sit ejus diecesanus habitatione, ac domi cilio; vel legitima licentia, & dimissione Superioris diecesani ad alium.

### §. III.

*An Metropolitanus dispensare possit cum subditis suorum Suffraganeorum?*


- 1124.** **S**uppon. 1. quod Metropolitanus nullam habeat jurisdictionem in subditis suorum Suffraganorum extra casus in jure concessos, ut dicitur in c. *Pastoralis 11. de offic. Ordinar.* ubi habetur, quod Archiepiscopus causam, ad se per appellationem delatam, committere possit subditis sui Suffraganei; non tamen possit invitum compellere ad eam suscipiendam; cùm, exceptis quibusdam casibus, nullam habeat potestatem. Idem expressè dicitur in c. *1. de foro compet.* in 6. per complures S. S. & alibi.

**1125.** Suppono 2. casus, in quibus Metropo-

litanus in subditos suorum Suffraganeorum jurisdictionem exercere possit, esse sequentes. 1. si causa per appellationem ad ipsum devolvatur, ut dicitur c. 1. *de offic. Legat.* ibi: licet Archiepiscopus metropolitico jure audire non beat causas de Episcopatibus vestris, nisi per appella tionem deferantur ad eum; quod etiam habetur c. *duo, 9. de offic. Jud. Ord.* nisi per consuetudinem, vel privilegium habeat, ut etiam extra casus in jure concessos in eos jus dicere possit. Secundus casus est, quando res ad ipsum devolvitur propter negligentiam Suffraganorum; sic gloss. in cit. c. *Pastoralis*, V. *Exceptis.* Hujus porro negligentiae casus complures refert Barbosa in c. *Pastoralis*, à n. 8. cum primis autem Quaranta in Summa Bullarij, V. *Archiepiscopi authoritas.* Tertius est, cùm ipse Archiepiscopus visitat dieceses suorum Suffraganorum. Nam tali casu procedit ut Superior; sed hoc limitat Castro palauis cit. P. 1. tract. 3. D. 6. p. 7. §. 3. n. 2. ut censeatur *Superior ad absolvendum, non dispensandum.* Nam in c. *fin. de censibus in 6.* expressè habetur, Archiepiscopum in visitatione suæ Provinciæ (quam libere suscipere potest, etiamsi sui Suffraganei non sint negligentes) posse audire con fessiones omnium, absolvere, & penitentias imponere; quin fiat mentio facultatis dispensandi.

Ex dictis colliges 1. Archiepiscopum cum subditis suorum Suffraganorum posse dispensare in casu ad se per appellationem devoluto, si in eodem dispensare possit cum suis. Nam in ejusmodi casu est eorum Ordinarius Superior, & Juxta, per n. 1125. Collig. 2. Archiepiscopum non posse dispensare cum subditis sui Suffraganei, dum visitat provinciam *ex num. 1125.* nisi hoc exigeret urgens necessitas, quæ sufficit, ut jure extraordinario tunc procedat juxta dicta in præmissis; & l. 4. à n. 2043. nec etiam ex hoc, quod remittatur ad illum extra casum appellatio nis legitimæ, vel deviationis ob injusti tam, aut negligentiam sui Ordinarii.

Nam sola remissio ad illum non est justus titulus prorogandi jurisdictionem.



ARTI-